

tiam) sed reddit ipsam potentiam intentionaliter ipsummet colorem, quia potentia cognoscens fit ipsummet cognitum objective, et intentionaliter, non autem ex objecto, et potentia naturam aliquam tertiam constituit, ut amplius dicitur infra disp. xvi, art. i.

XVIII. Ad instantiam p. Suarez respondetur non sufficere ad speciem impressam immediate representantem Deum in se, quod sit ordinis divini solum accidentaliter, sicut formæ supernaturales, ut lumen gloriæ, etc. loquendo de specie in esse representativo, et intelligibili formaliter, sicut loquimur in præsentia. Cujus ratio est, quia species non potest accidentaliter solum habere esse intelligibile objecti, nisi quando in ipso objecto esse intelligibile accidentale est sicut in creaturis, cum enim intelligibilitas objecti, et species non ponant in numero, eo quod totum, quod est in objecto entitative, reducet in specie representativa, et intelligibiliter oportet quod intelligibilitas objecti, et speciei non sit diversa, et specialiter hoc requiritur in specie impressa respectu Dei, quia si alia intelligibilitas, quam divina esset in specie, hoc ipso esset intelligibilitas creata, quia non est medium inter divinum, et creatum, et consequenter hoc ipso caderet infinite a Deo, et consequenter redderetur intelligibilitas alterius ordinis: ergo non non posset in esse intelligibili adæquari, et proportionari immediate cum Deo, sed cum altero objecto quod non esset Deus sed creatura, et plus distaret a representatione Dei, quam res corporea a spiritu. Unde cum esse intelligibile in Deo non sit accidentale, quia est actus purus, repugnat, quod detur species creata immediate representativa Dei, quæ in se habeat esse intelligibile accidentale, quia hoc ipso quod

est accidentale est creatum in ratione intelligibilis, et consequenter inferioris ordinis. At vero aliæ formæ supernaturales non continent in se idem esse intelligibile quod objectum, sed solum se habent per modum virtutis elevantis potentias creatas, quæ accidentales sunt ad eliciendum actum supernaturalem, qui etiam accidentaliter est, et solum tendit in Deum, non vero continet ipsum in suo proprio esse intelligibile. Et ideo non repugnat istas formas esse ordinis superioris accidentaliter. Sicut etiam in naturalibus, virtus, quæ communicatur a superiori ad faciendum aliquem effectum solum accidentaliter superiorem, non requiritur, quod sit nisi virtus accidentaliter superior, sicut cum a cælo communicatur lux, vel aliquis alius motus ad aliquas actiones accidentales faciendas excedentes propriam virtutem rei inferioris. Si tamen alicui communicetur virtus seminalis ad propagationem substantiæ, oportet, quod talis virtus seminalis, quia continet totam substantiam rei producendæ etiam usque ad ultimam differentiam, oportet inquam quod sit ejusdem perfectionis virtualiter cum ipsa re, cujus est seminalis virtus. Et sicut si per impossibile intelligeremus Deum mediante aliqua seminali virtute posse propagari in esse entitativo, illa virtus seminalis deberet esse increata, quia virtualiter adæquaret totum Deum, ita cum species impressa intelligibilis se habeat, sicut semen in esse intelligibile, oportet, quod sit proprium et immediatum esse intelligibile ipsius Dei, est increatum, et ipsa ejus substantia eo quod illud esse intelligibile Dei est actus purus, et non aliquid limitatum, etiam intelligibilitas speciei, non sit intelligibilitas creata, sed increata, et non accidens, eo quod si creata est remanet

in ipso esse intelligibili alterius ordinis et infinite distans a Deo, nec illi commensuratum ut objecto immediato.

XIX. Distingue ergo in rebus supernaturalibus, seu superioris ordinis, quod aliquid potest esse superioris ordinis primo, et per se, aliud quasi secundo, et consecutive. Dicitur primo, et per se id quod est tale in primo modo per se, sicut est essentia Dei et prædicata essentia: in secundo autem modo per se dicitur esse tale id, quod se habet per modum propriæ passionis, sicut risibile respectu hominis. Unde cum propria passio respectu essentiæ se habere possit ut extraneæ naturæ, licet ejusdem perseitatis, et ordinis, quia potest esse accidens respectu substantiæ, ita similiter considerandum est, quod aliquid potest participare supernaturalem rationem dupliciter, vel ita quod sit illius ordinis supernaturalis, et divini per se primo, vel per se secundo. Quod est per se primo non potest esse accidentaliter ordinis divini, sed sicut essentia ipsa quæ substantialiter est illius ordinis sive sit entitative, sicut ipsa substantia Dei, et ipsum esse intelligibile Dei, quod est etiam ipsa Dei substantia cum sit actus purus, sive hoc virtualiter habeat sicut semen quod continet, et adæquat in virtute ipsam naturam, cujus est propagativum, vel representativum, si sit semen intelligibile, ut species, æque enim repugnat dari aliquam creaturam, quæ sit entitative ipse Deus, vel quæ sit semen ipsius Dei. Esse autem aliquid supernaturale per se secundo est tamquam accidens participans illum ordinem, sicut id quod est virtus, vel propria passio alicujus substantiæ, et est ejusdem ordinis cum illa tamquam ab illa dimanans, et ad illam per se ordinata, et sic bene potest dari accidens supernaturale per mo-

dum virtutis, et propriæ passionis, non tamen per modum propriæ speciei, quia hæc debet continere ipsum objectum, seu substantiam illius in eodem esse intelligibili, quod ipsa habet, si sit propria, et immediata species illius, quia species, et objectum ita se habent, quod species est ipsummet objectum in esse intelligibili, utpote vicaria objecti et vices gerens, non per modum denominationis extrinsecæ, sed per modum representationis realis, quæ adæquetur intelligibili modo ipsi objecto, licet non entitative ut in objectis creatis. Sed tamen si hoc intelligibile Dei actus purus, et ipsa substantia Dei non potest accidentaliter inveniri in specie creata, nisi in infinitum distet ab intelligibilitate Dei, et sit alterius ordinis, et consequenter non ei adæquetur immediate etiam in esse intelligibili.

XX. Ad ultimam instantiam ex Ægidio respondetur ex dictis, quod etiamsi illa species dicatur non comprehensiva, sed solum quidditativa finito modo, adhuc eodem modo repugnat. Et hoc patet ex ratione sæpius facta, quia vel illud esse intelligibile, quo species formaliter constituitur in esse representativo est intelligibile creatum, vel increatum. Si increatum, est actus purus, et substantia Dei, et adæquans Deum non solum representando quidditative, et intuitive, sed etiam comprehensive, quia actus purus est. Si autem illud esse intelligibile, quo formaliter constituitur species in ratione representativi est creatum, hoc ipso infinite distat ab intelligibilitate, quæ est in Deo, quæ est intelligibilitas actus puri. Ergo non potest adæquari illi, et representare Deum ut est in se, eo quod est similitudo diversi ordinis, ut puta in infinitum distans, unde immediata ejus proportio, et adæquatio

non potest esse cum re increata, et infinita, sed cum aliquo creato, et finito, sicut ipsa similitudo, et esse intelligibile finitum, et creatum est. Quare implicat quod detur species repræsentativa Dei immediate, et ut est in se solum quidditative, et finito modo, sed vel debet esse diversi ordinis a Deo in intelligibilitate distando infinite ab ipso, et consequenter non repræsentando ipsum ut est in se, sed creaturam aliquam, vel si excedit omnem creaturam in repræsentando, et immediate est ejusdem ordinis cum Deo, ut immediate proportionata ejus esse intelligibili, necessario est actus purus, et infinite, seu comprehensive Deum repræsentans. Quare exemplum de specie corporis respectu rei spiritualis omnino tenet, quia multo magis distat divina substantia a similitudine creata in ipso esse intelligibili, quam substantia spiritualis a similitudine corporea in quantum corporea est in esse similitudinis, quia hæc distantia solum est finita, illa infinita.

## EXPENDITUR SECUNDA RATIO D. THOMÆ.

XXI. Non minus demonstrativa est, quam præcedens, et explicatione illius illustrari potest. Sic autem eam proponit D. Thomas. Essentia Dei est ipsum ejus esse, quod nulli formæ creatæ convenire potest, ergo non potest aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti Dei essentia.

XXII. Hæc ratio procedit etiam formalissime loquendo de specie, et de similitudine secundum formalem rationem similitudinis repræsentative, et intelligibiliter, non autem secundum id quod est commune omnibus aliis formis accidentalibus in ratione entitatis, et inhærentiæ. Ut autem vim consequentiæ

D. Thomæ intelligamus, removendæ sunt solutiones, quas adhibent oppositi auctores. Nam primo aliqui ex p. Vazquez respondent non probare hanc rationem de similitudine, quæ est principium cognoscendi, sed de ea, quæ se habet ut medium cognitum, quia ut sit principium eliciens cognitionem, tamquam species impressa non est necessarium ut formaliter contineat omnes rationes objecti, sed sufficit quod efficienter movere possit, et determinare potentiam ad cognitionem talis objecti, et sic solum se tenet ex parte potentiæ, in qua est ratio cognoscendi. Cæterum hæc solutio procedit evertendo naturam speciei impressæ, cujus formalis ratio est, ut sit repræsentativa, et vicaria objecti in esse intelligibili ad conjungendum ipsum objectum in esse intelligibili, ut cum potentia concurrat ad eliciendum cognitionem, ut jam supra probatum est, et diximus in hac disputatione, art. 1. Unde cum in suppositione falsa procedat hæc solutio, et contra id quod pertinet ad naturam speciei non est, quod in illa immoremur. Nam D. Thomas solum ponit implicationem respectu speciei, quæ sit vicaria objecti, et repræsentativa, non autem contra id quod determinat potentiam per modum luminis, et virtutis, et non tenet se ex parte objecti, ut vices gerens illius quod isti auctores vocant speciem. Sed D. Thomas contra hoc lumen non procedit, quin potius illud admittit ejusque similitudinem in hoc articulo secundo, sed contra speciem repræsentativam, et vicariam objecti.

XXIII. Alia solutio sumi potest ex Suarez, lib. II de attribut. negativ. cap. XIII, num. XX, et Vazquez hic disp. XXXVIII, cap. IV, et ex aliis, quod ut aliqua species sit similitudo illius rei quæ est suum esse, et actus

purus non requiritur, quod in se ipsa intrinsece, et formaliter sit actus purus, sed solum extrinsece, et terminative, quia habet pro objecto repræsentato actum purum, sicut etiam ipsa visio, et lumen gloriæ habent pro objecto specificante ipsum actum purum. Similitudo autem repræsentationis ad rem repræsentatam non fundatur in omnimoda unitate, et convenientia, sed solum in aliqua proportionem, et convenientiam, sed solum in aliqua proportionem, et commensurationem, et sic non repugnat dari formam creatam, quæ repræsentative sit ipsum esse, sicut species, quæ est accidens repræsentative est substantia.

XXIV. Cæterum hæc solutio in primis opponitur expresse D. Thomæ inferenti in hac secunda ratione hanc consequentiam, ergo non potest aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti divinam essentiam, sed species illi creata, quæ terminative solum esset actus purus esset forma creata repræsentans videnti divinam essentiam, ergo illa est, quæ directe negatur a D. Thoma. Secundo, ex dictis circa præcedentem rationem manifeste excluditur ista solutio, quia species impressa non ita se habet ad objectum repræsentatum, ut ad extrinsecum terminum, quem attingit, sicut virtus luminis gloriæ, vel actus visionis, qui ab ipso specificantur per modum actus, vel virtutis tendentis ad illud, sed species ultra hoc ex eo quod est similitudo repræsentans intelligibili modo ipsum objectum, oportet quod intelligibile esse talis speciei sit omnino ita purum et elevatum, sicut esse intelligibile objecti, quod immediate repræsentat in se, et in esse intelligibili continet, ut explicavimus in præcedenti ratione, si quidem si esse intelligibile speciei ratione, cujus formaliter, et intrinsece repræsentat est

aliud, seu alterius ordinis ab intelligibilitate objecti, non adæquantur: neque conveniunt inter se, præsertim si esse intelligibile speciei est creatum, sic enim in infinitum distabit ab intelligibilitate increata Dei, et consequenter non directe repræsentat illud immediate, sed aliquid aliud cui immediate adæquatur, et proportionatur, et respectu cujus se habet tamquam ejusdem ordinis, sicut probatum est exemplo speciei corporeæ ad repræsentandum rem spiritualem in se.

XXV. Sic ergo adstruamus rationem D. Thomæ. Divina essentia est suum esse, et actus purus non solum in esse entitativo, sed etiam in esse intelligibili, quia esse intelligibile Dei non accidentaliter illi convenit, sed substantialiter, et per modum actus puri. Ergo non potest dari similitudo creata, quæ formaliter, et intrinsece in ratione similitudinis possit habere esse intelligibile repræsentativum, tale quale invenitur in Deo, id est, in ratione actus puri, sed necessario debet esse similitudo secundum intelligibilitatem creatam, quia si esset actus purus, ut ostensum est, non haberet rationem entis creati, sed divini in se, sed hoc ipso quod similitudo illa est secundum esse intelligibile creatum non potest repræsentare id quod est ipsum esse, quia est similitudo diversi ordinis, et in infinitum distans in esse intelligibili ab ipsa re repræsentata, ergo non potest dari aliqua similitudo repræsentativa in esse intelligibili ipsius actus puri, qui est suum esse intelligibile, et entitativum. Itaque hæc ratio ex eodem fundamento procedit, ex quo præcedens, et solum explicat, quod nulla similitudo, seu repræsentatio creata potest dari, quæ sit suum esse, etiam intelligibiliter, sed solum habet esse intelligibile accidentaliter, et sic non po-

test adæquare, vel proportionari, vel esse ejusdem ordinis cum illa intelligibilitate, quæ suum esse, et actus purus. Unde non sufficit ad similitudinem repræsentativam, quod solum respiciat divinam essentiam per modum tendentiæ ad rem specificatam, sed per modum continentia ejusdem esse intelligibilis, quod invenitur in objecto, quatenus ipsa species est similitudo objecti, et vires ejus gerens, et si est similitudo, et sicut ipsum objectum, seu alterum objectum non entitative, sed intelligibiliter, sicut semen est virtualiter totum vivens, et hoc est continere objectum, id est, esse ipsum objectum in esse intelligibili; et ita si in objecto esse intelligibile est ipsa ejus substantia, et ipsum suum esse, quia est actus purus etiam in esse intelligibili, non potest reperiri specie creata, nisi in infinitum distando a tali intelligibilitate, quia solum potest habere intelligibilitatem, quæ non sit suum esse, utpote creatam.

## EXPENDITUR ULTIMA RATIO D. THOMÆ.

XXVI. Quæ formatur sic. Divina essentia est aliquid incircumscriptum, continens eminenter quiddam ab intellectu creato intelligi potest, sed hoc per nullam speciem creatam, repræsentari potest, quia omnis species creata est determinata secundum aliquam rationem creatam v. g. sapientiæ vel virtutis, vel alicujus hujusmodi, ergo dicere, quod Deus videtur per aliquam similitudinem est dicere divinam essentiam non videri, sed aliquid determinatum in genere entis.

XXVII. Hæc ratio habet vim ex eadem radice, qua præcedentes, et solum magis explicat aliquam conditionem entis creati, et increati, sicut enim præcedens ratio processit

ex ipso esse entis increati, quod est a se, et actus purus, ita hæc ratio procedit ex ipsa quidditate Dei, quæ est incircumscripta et continet omnes perfectiones, neque est in aliquo genere, vel specie. Quidquid autem creatum est debet esse in aliquo genere, vel specie. Cum ergo ens increatum, et res creata in hac conditione proportionari, et adæquari non possint, sed semper divina essentia superexcedat, sicut res posita extra omne genus, et nullis terminis generis, vel speciei circumscripta, omne autem quod creatum est aliquo termino generis, vel speciei constringitur, et limitatur, ergo nunquam potest correspondere secundum proportionem, et adæquationem repræsentato, quia est proportio finiti ad infinitum.

XXVIII. Unde solutio, quæ adhiberi potest huic argumento, sicut præcedentibus ex dictis manet exclusa, videlicet quod species creata si daretur esset infinita, et incircumscripta objective, et determinative non formaliter. Contra hoc enim est, quia si formaliter est finita in ipso esse intentionali, et repræsentativa, impossibile est, quod possit continere, et adæquare infinitum objectum, quod est extra omne genus, eo quod ista continentia, et repræsentatio sit per assimilationem, et convenientiam cum objecto in esse intelligibili, non autem per modum respectus, et ordinis virtutis elevantis, et tendentis ad objectum infinitum, sicut est lumen gloriæ, nunquam autem potest habere proportionem repræsentatio finita, et ad certum genus restricta cum objecto finito in se, sed semper manet illa repræsentatio minor, et inferioris ordinis et intelligibilitatis creatæ, si quidem esse repræsentativum, quod est esse intelligibile in illa creatum est. Constat autem quod repræsentatio inferioris ordi-

nis postulat etiam pro immediato repræsentato, cui respondeat, et adæquatur aliquid finitum, et ejusdem ordinis cum ipso, per speciem autem ordinis inferioris, et repræsentantem rem inferioris ordinis, manifestum est non posse repræsentari rem alterius ordinis superioris, ut sæpe ostensum est.

XXIX. Præter istas rationes D. Thomæ aliqui magnificent rationem, qua movetur p. Arrubal hic disp. XVI, cap. v, ad probandum non esse possibilem speciem impressam Dei. Movetur autem Arrubal ex secunda ratione D. Thomæ allata, quia puri actus non potest dari species impressa, Deus autem est actus purus. Explicatio autem hujus rationis D. Thomæ non concordat cum nostra. Explicat enim Arrubal vim hujus rationis per hoc, quia nullum objectum, quod per suam essentiam est immediate præsens, et unitum potentia potest repræsentari per aliquam similitudinem impressam, eo quod species essentialiter, et intrinsece ordinatur ad hoc, ut objectum reddatur proxime intelligibile, et possit determinare potentiam reddendo illi objectum unitum, et præsens, ut hoc modo moveatur potentia ab objecto, et non solum terminetur ad illud, ergo ubi hoc minus est impossibile, quod fiat per speciem eo quod objectum se ipso est proxime intelligibile, et unitum ac præsens potentia, etiam impossibile est species, quia ubi effectus est impossibilis etiam et causa.

XXX. Cæterum hæc ratio apud nos non convincit, quia licet actus purus sit præsens omni intellectui per immensitatem, non tamen redditur præsens intelligibiliter, nisi intellectui elevato per lumen gloriæ, et tunc necessaria est nova unio, seu actuatio intellectus a divina essentia in genere intelligibili, ut intellectus habeat sibi unitam,

et præsentem divinam substantiam, ut comprincipiantem cum illo visionem. Hæc autem applicatio, et unio cum fiat libere a Deo etiam post elevatum intellectum lumine gloriæ, non apparet cur non possit a Deo suspendi, et impediri: et tunc poterit species impressa (si alias non repugnat ex alio capite) exercere munus suum reddendi objectum præsens, et unitum potentia in esse intelligibili. Unde enervatur tota implicatio allata, quia illud munus speciei intelligibilis non probatur impossibile ab intrinseco ex vi ipsius repræsentationis speciei, sed ab extrinseco ex applicatione alterius causæ, illud per se ipsum præstantis: quare si non affertur implicatio propter quam repugnat applicationem, et unionem illius causæ impediri, et suspendi, non probatur esse impossibile simpliciter illud munus speciei impressæ. Hanc autem applicationem, et unionem divinæ essentia non posse impediri, aut suspendi non ostenditur per illam rationem P. Arrubal, et sic bene stat quod essentia divina sit per se summe intelligibilis, possitque hoc munus præstare intellectui, si velit, non tamen probatur, quod necessario præstet, ita ut non possit de facto non se applicare, et dare locum speciei. Sicut etiam in Angelo si impediretur ejus substantia actuare intellectum proprium in ratione speciei, posset per speciem accidentalem repræsentativam sui actuari.

## ARTICULUS IV.

*Expediuntur difficultates contra prædicta, disquiritur quomodo uniatur essentia divina intellectui.*

I. Ex triplici solum capite possunt argumenta fieri contra sententiam